

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8988

Auteur(s) : Guillaume Burel, Avranches (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1182-1195]

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

L'évêque Guillaume d'Avranches notifie l'arrangement conclu entre l'abbaye de Savigny, d'une part, et Leonisius de Fougères, son fils et son petit-fils, d'autre part, au sujet de l'église de Brécey.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Müller Harald, *Päpstliche Delegationsgerichtsbarkeit in der Normandie*, 12. und frühes 13. Jahrhundert, Bonn, Bouvier, 1997, 2 vol., t. 2, n° 104, p. 217-219.

Texte d'après a

Uniuersis fidelibus ad quos presens scriptum peruererit, Willelmus Dei gratia Abrincensis episcopus salutem in Domino. Notum sit uniuersitati uestre quod controv ersia que uertebatur inter monachos Sauign(eienses) et domnum Leonisium de Filgeriis et Juhellum filium eius et Leonisium filium Juhelli super ecclesia de Breceio, concordata est in hunc modum : Domnus Leonisius et Juhellus filius eius et Leonisius filius Juhelli iam duodennis quicquid calumpniabantur in prefata ecclesia et pertinentiis eius monachis Sauign(eiensibus) pacifice in perpetuum dimiserunt. Et quia Leonisius filius Juhelli nundum miles erat et ad ipsum specialiter illa calumpnia pertinebat, sacramento astricti sunt domnus Leonisius et Juhellus filius eius et nepotes eius Will(elmu)s de Pi(n)ceio, Gaufridus de Pinceio, Will(elmu)s de Chasteler et amici eius Michael Marchisius et filius eius cognominatus episcopus et Gaufridus et Galterus de Kernet, Hamelinus thesaurarius Redonen(sis), Guill(elmu)s de Orenge, Will(elmu)s de Sancto Bricio, Guill(elmu)s Sobric, Philippus abbas, Bartholemeus frater eius, quod cum idem Leonisius filius Juhelli talis erit etatis, quod iuxta legem Normannie finali stabilemque conuentiōnem possit facere, ipsum facient bona fide istam concordiam confirmare, quod et ipse se facturum in manu nostra affidauit et per librum super altare columniam suam misit. Hoc etiam concederunt duo sorores Leonisii filii Juhelli, Matildis et Aeliz. Monachi autem dabunt annuatim Henrico clero filio Leonisii .XX. libras Andegauensium, quo usque Leonisius filius Juhelli in estate congrua illam concessionem et confirmationem perfecerit. Ex tunc uero quamdiu uiuet in ordine clericali prenominatus Henricus .C. solidos Andeg(auensium) augebunt ei monachi, ita ut singulis annis .XXV. libras Andeg(auensium) habeat aut de denariis monachorum aut in redditu assignatas in his terminis : in natuitate Domini medietatem unam et in natuitate beati Johannis alteram. Et si non tota hec summa in redditu assignaretur, aliunde ei in denariis perficeretur, donec a monachis ei in redditu assignetur. Uerumtamen si uel ad miliciam uel ad religionem se transferret, de his omnibus nichil haberet. Sciendum uero, quod si Leonisius filius Juhelli in estate congrua istam concordiam confirmare noluerit, quicquid Henricus filius Leonisii de peccunia monachorum receperit, totum monachis restituetur de redditu domni Leonisii ; ad quam restitutionem assignatum est molendinum domni Leonisii de Grauella cum sua molta a monachis pacifice possidendum quo usque tota restitutio legitime consummaretur. Tenetur itaque dominus Leonisius hanc pacem pro posse suo confirmare litteris domini regis, archiepiscoporum

Rothom(agensis) et Turonen(sis), episcoporum Abrincen(sis) et Redonen(sis) et domni Will(elm)i de Filgeriis. Leonisius filius Juhelli pro hac concessione accepit de monachis in capitulo Sauign(eiensi) dimidiam marcam argenti. Huius rei testes sunt Will(elmu)s decanus Abrincen(sis), Gaufridus precentor, Guill(elmu)s et Rob(ertus) archidiaconi, Gaufridus Brito thesaurarius, Nichol(aus) magister scolarum, magister Guill(elmu)s de Ispania, Herb(er)tus bla(n)cus ho(mo), Rualenus de Moisseio et Rob(ertus) de Sancto Joh(ann)e et alii plures.